



Melo in eo loco Germanorum dux extitit, ubi nunc Vuestphali habitant. Is ingenti animo suos contra Romanos incitat, atque patriam liberare externo hoste iubet. Itaque correptis armis subito & de improviso Romanos ui aggrediunt, & M. Lollium cum copijs profligant, Aquila quintae legiois potiunt, & incremat. In ignominia etiam Romani populi uiginti Ceturiones crucibus affigunt. Exinde reliqui quoque Germanorum ad Rhenum habitantes pacem soluunt, & in arma rulant. Cesar ergo Augustus sentiens se Gallias & conterminas prouincias tutò et quiete non posse tenere, quod crebro Germani in Romanas prouincias facilem occasionem nacti incurrerent, onus Germanici belli Claudio Druso Neroni delegauit, ipse ab urbe ad Rheni ripam tendit. Nam Germanicus bellis, quae per legatos administrabat, aliquoties interueniebat, aut non longe aberat, Rauennam, Mediolanum, aut Aquileiam usque progressiens. Itaque Drusus maximo exercitu comparato, ad Rheni ripam profectus, ibi multa castella erexit, & cum Melone ac Germanis grauiissima bella habuit. Tadem inter Rhenum & Salam flumina cum belligeraret, equo super crus eius collapso, tricesimo die interiit. De eo Ouidius ad Liuiam Drusillam Augusti uxorem: